Opuscula

CLASSES
VLADISLAVIANO
NOVODVORSCIANÆ,

Aureo Aviti JUNOSZÆ Vellere,
PRINCIPE dignarum virtutum gazâ,
Raræ eruditionis copiâ,
Multiplici meritorum apparatu,
CELSISSIMI PRINCIPIS,
ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. ANDREÆ
STANISLAI KOSTKA
In ZALUSKIE
ZAŁUSKI,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPI Cracoviensis, DUCIS Severiæ,
Universitatis Cracoviensis CANCELLARII,
& PROTECTORIS Faventissimi,

INSTRUCTÆ;


Circa primum Ejus ad Cathedram Cracoviensem ingressum,
Præsidente & Applaudente
Nomine Nobilissimæ Juventutis Academicæ
M. ANTONIO JOSEPHO KOCIKOWSKI,
Philosophiæ Doctore, in Classibus Vladislaviano Novodvorscianis pro tunc
Dialectices Professore, Contubernii Hierosolymitani Seniore.
Per circumfluentis Vavellum Vandali Sinum,
In publicum

EDUCTÆ.

Annô Domini 1747. Die 7. Mensis Maji.

Cracoviæ Typîs Collegii Majoris, Universitatis.

In Avitum Decus
CELSISSIMI, ILLUSTRISSIMI
&
REVERENDISSIMI PRINCIPIS.



Agni de lana Trabeam cum Murice PRÆSUL,
Cumq; Toga Mitram, Pallia PRÆSUL habes
Ampliùs haud aliquid restat, nisi justa Galerum
Texat de Patrio Vellere Roma Tibi.

CELSISSIME PRINCEPS, ILLUSTRISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE.

POst *Acerba & nunquam satis deploranda* JOANNIS LIPSKI, *EPISCOPI* Cracoviensis, *DUCIS* Severiæ, *S. R. E. CARDINALIS*, *Universitatis nostræ* CANCELLARII, *Antecessoris Tui fata usq; ad præsens coorta lacrymarum tempestate decumanis dolorum agitabantur fluctibûs Classes Nostræ, hodie dum immortalem tanti PRÆSULIS jacturam reparas, & Cathedræ PONTIFEX, Ecclesiæ Sponsus, Viduæ Diœcesis PASTOR, Universi-*

 tatis

tatis CANCELLARIUS, *ſolenni inaugurari ritu ipſis natant in gaudiis. Appuliſſe ad portum felicitatis ſuæ credunt, quod Præſul Literis & Literatis addictiſſimus*, PETRO WYSZ & ZBIGNEO OLESNICIO, JOANNI KONARSCIO, & PETRO TYLICIO, JACOBO ZADZIK, & PETRO GEMBICKI, JOANNI MAŁACHOWSKI, CASIMIRO ŁUBIENSKI, *propenſo in Muſas Academicas affectu, par Paſtor Diœcesi huic, & Superûm Dono & Sedis Apoſtolicæ Gratiâ, & Tuis exigentibûs meritis obtigiſti. Honoris verò ſui inde littus arare videntur, quòd cùm Te votis, desideriis, plausu, Clerus, Cives, Populus circa ingreſſum excipiunt, Illæ quoq; quidquid pro ſuo modulo in elogia Tua inter docti æquoris æſtus collegiſſe poterant pretiosi, in ripam Vandali & in vicinum Vavelli jugum exonerant. Patere ergo hoc Claſſium noſtrarum id eſt Nobiliſſimæ Academicæ Juventutis, quæ Claſſes implet & conſtituit, obsequium, & nos gratiâ, favore reſpectu, ut imploramus fove, & Diœcesim hanc longævus & incolumis ut optamus rege.*

Celſitudinis Veſtræ,

humillimi & obſequentiſſimi ſervi
Profeſſores Novodvorſciani.

CLASSIS I.
Aureo Aviti IVNOSZÆ Vellere
INSTRVCTA.

Sinite!
Argolicam Ratem jactare fabulæ,
quòd Colchicæ Ovis lanam tulerit.
Classe hac
non mentitas mentiti Arietis exuvias,
sed Aviti *ZAŁUSCIORUM JUNOSZÆ* Vellus
Poloni vehimus Argonautæ.
Et non tenui Maris Ægæi sinu,
sed per Sangvinis *ZAŁUSCIANI* Æquor,
à Colligatarum Familiarum amplitudine
immensum,
à Celsitudine *profundum*,
à tot gemmarum quot Virorum partu,
Erythreum.
Plurimæ Familias numerat Polonia,
multæ sunt quæ Oceano huic sua debent principia,
plures quæ augmenta.
Nulla in Corpore Reipublicæ vena est,
in quam *ZAŁUSCIUS* Sangvis non influat.
Nulla Consangvinitatis Arbor, quam non vegetet,

nulla Purpura, quam non pingat.
Quotquot Sacræ, ſive profanæ ſunt,
quævis ſuum Filum *JUNOSZÆ* debet;
alias
ut *Fons Purpurarum*
LUBOMIRSCIORUM SRENIAVA, (a)
Flos Purpurarũ SZEMBECCIORUM ROSA,(b)
ita Stamen Purpurarũ Vellus *JUNOSZÆ* eſt.
Tres Sacras *ZAŁUSCIIS* ex eo Plocia,
Kijovia & Culma,
Varmia & Luceoria,
Abra & Dreſda unam;
duas Palatinas Rava,
Czerniechovia unam & unam Plocia;
Caſtellanas Rava duas,
unam Goſtinum texuit;
& texere quævis vellet Provincia,
niſi alii Sagum Purpuris,
alii Curiam Senatoriæ Curuli,
alii Togæ Miniſteria Regni,
prætuliſſent & præferrent, *ZAŁUSCII*.
Quanquam,
non ſibi tantùm Vellera fert hic *ARIES*,
Mars ex eo ſibi *baltheum*, Minerva *peplum*,
Purpuras propter Cives Patria,
Pallia

(a) *Paneg: Lubomirſki*, (b) *Paneg: Chriſtoph: Szembek.*

Pallia propter Præſules texit Polonia.
Et *ZAŁUSCII* non ſuis vivunt uſibus;
Regnorum allaborant Ceris ut *apes*,
Regum Paludamentis ut *bombyces*.
Celſiſſimi, ut alios attollant,
Illuſtriſſimi, ut tenebras accendant,
Senatores, ut Patriæ conſulant,
Regni Miniſtri,
ut commodis publicis laborent,
Milites, ut defendant.
Omnes à cunis aurei Velleris Equites,
plures inter publici boni amores *Holocauſta*,
inter Martis Alumnos *Victimæ*,
inter effuſum ſangvinem *Libamina*.
JUNOSZA enim,
non ſemel pro integritate Patriæ immolatus,
pro Aris & Focis cæſus,
attamen niſi *tanquam occiſus*,
ut *Apocalipticus* viſus eſt;
cædere magis, quàm cædi,
expugnare, quàm expugnari,
aptior hic *ARIES*,
Meritò
in Sacri Cracii Senatûs Zodiaco

 inter

inter JOANNIS ODROWAZII & PRANDOTÆ
Arcitenentes,
JOANNIS GROTHII Virginem,
JOANNIS LATALSKI Leonem,
SAMUELIS & *BERNARDI*
MACIEIOVIORUM Taurum,
Signorum;
inter *GOMPONIS* Astra,
AARONIS Coronas,
MATTHÆI, & *MARTINI SZYSZKOWSKI*
Cynthias,
JASTRZEMBECII, *MYSZKOVII*,
& *TYLICII* Soleas,
ROBERTI, *PETRI TOMICKI*,
& *JACOBI ZADZIK* Naves,
FRANCISCI KRASINSKI Corvos,
ANDREÆ TRZEBICKI Olores,
Siderum Princeps eſt.
Non tamen hìc ſunt Honoris *AGNI primitiæ.*
nuper in *CONSTANTINO FELICIANO*
S Z A N I A W S K I,
inter mortuorum Regum Thronos,
in Vavello adoratus;
hodie dignus accipere Coronam,
(a) triplicî coronatur.

Can-

(a) *Stemma Capituli Cracovienſis Coronæ tres.*

Candore unamquamq; promeruit,
Animal
non minùs niveo Velleris colore,
quàm innocentiâ & fide candidum.
Naturâ quidem mitissimum,
sed MAVRORVM Leopardîs,
GEDEONVM Gryphibûs,
GROTHORVM Vrsîs,
DONHOFFIORVM Aprîs,
ŁVBIENIORVM Vrîs,
Animal & acrius & ferocius.
Lupos illi ab ovili Craci arcuêre,

Agnus

jam alibi lupos non unius Insulæ
arietavit cornu,
& ab Ovilibus exclusit,
alibi in oves convertit,
in Cracia Diœcesi tantùm audebit,
ut sub se uno Pastore,
AGNO fiat ovile unum. (b)
Promittit id *ANDREÆ PRÆSULIS* fortitudo
& probata ZAŁVSCII Vigilantia.
Reduci ad ovile CHRISTI hæresi
in primas innocentiæ stolas,
in virtutum habitus,

 dabit

(b) *Ioann: 10.*

dabit JVNOSZÆ Aviti Vellus
plus quàm aureum.

CLASSIS II.

Principe virtutum dignarum gazâ
ONERARIA.

Cæsaris olim fortunam una Ratis vexit,
& suffecit ei ad gloriam.

Classis hæc

Principis virtutes defert,
attollere se potest usq; ad fastum.
Si enim
nulla possessio, nulla vis auri & argenti,
plùs quam virtus æstimanda, (b)
Virtutes Præsulis plus quàm Orbis fortuna sunt.
seu quòd non plebeiæ, sed *Principes,*
seu quod omnes in gradibus intensis *summæ,*
in multitudine prope *infinitæ.*
In Diœcesum Pastore & Doctore *Theologicæ,*
in promerito Galerum *Cardinales,*
in morum & virtutum Idea *Morales.*
Agmen cæterarum ducunt Religio & Pietas,
quibus natus ex *POTKANSCIA Præsul,*
cùm

(b) *Seneca in Epist.*

cùm Materno lacte innutritus,
crevit ad Aras *pientissimus*,
adolevit Rex Sacrorum *Religiosissimus*.
Ecclesiæ necessarius,
Regno *utilis*,
populo in nullo *non proficuus*,
Fide in opere *vivus*,
spe in credendis *certus*,
charitate in factis *fervidus*.
Prudentia Illi præteritorum *gnara*.
Præsentibus *provida*,
futura *prævidens*,
informia formans, *ut speculum*,
pericula ludens, *ut navis*,
dubia discernens, *ut cribrum*,
remotissima prope faciens, *ut tubus*,
rerum pondera librans, *ut bilanx*,
par fortitudo Zodiaco,
qui *inter monstra non succumbit*,
scopulo,
quem *allidunt procellæ, non lædunt*,
Monoceroti,
qui animalia *non pavet, sed terret*,
adamanti,
qui *nec mollitur, nec frangitur*,

 tere-

terebello,
cui & *Avia pervia* ſunt.
Solem imitatur Juſtitiâ,
qui æquè lucem partitur in omnes,
Fraxinum, quæ niſi nocentibus noxia,
occam, quæ evertit & æquat,
raſtrum, quod areas & arva repurgat,
fulmen, quod paucos lædit, ſed multos terret,
phlebotomum, quod parcendo ſecat,
ſecando parcit.
Temperantiâ non adæquat bombycem;
qui *operoſus non paſcitur*,
ſed adæquat Aquilam, quæ *contenta parvo*.
Frugalis ſine luxu,
ſine ſordida parſimonia effuſus.
Novit liberalitatem à prodigalitate
diſtingvere,
nemini ſua munera claudit, *ut malus Punica*,
congregata diſpertit, non perdit, *ut nubes*.
Templis, Aris, egenis,
providet, ſubvenit, ſuccurrit,
apparatu, ſumptu, opibus.
Orphanorum Pater & Nutritius,
Orphanotrophiorum Fundator,
&

& Erector munificentissimus. (a)

Liberalitatis Præsuleæ

& Pultoviense Seminarium testis esto;
quod ad structuram erexit *magnifice*,
ad sufficientiam providit *munificè*,
ad Regimen ordinavit *prudentissimè*.

Jurisdictionis Claves,

Petristis commisit.
& primitivæ Ecclesiæ statum restituit,
in quo Clericis Sæcularibus
nulla præfuit Cõgregatio vel Communitas.
Publica hæc sunt, sed cupit esse occulta,
providus Diœcesum commodis Pastor,
sed popularis auræ non avidus.
Ecclesiarum *Lucerna* sub modio,
Præsulum *Gemma* sub Concha,
Ilias virtutum in nucleo.
Sine tumore *Celsißimus*,
sine ambitionis fumo *Illustrissimus*.
In tot titulorum serenitate amat nubem,
in tot luminum,
quot virtutum concursu, umbram.
Sine fastu gravis,
sine involucro candidus,
sine assentatione rectus,

D sine

(a) *Pultoviæ pro educandis puellis sub cura Virginum misericordiæ dic:*

ſine felle bonus,
commune omnium virtutum ſubjectum,
non cuivis communium.
Pontifex hoſpitalis & benignus,
Sobrius & juſtus,
vigil & prudens,
in Eccleſiæ Candelabro
non plùs Avorum Cerîs,
quàm virtutibûs refulgens.
Fraternum hoc Elogium ſimul & Tuum eſt,
ILLUSTRISSIME
&
REVERENDISSIME DOMINE,

D. MARTINE ZAŁUSKI,

EPISCOPE DRASNENSIS,
Suffraganee Plocenſis,
Præpoſite Infulate Pultovienſis,
Supreme Regni Poloniæ Secretarie,
Qui ut Genere cum Fratre communicas,
ſic virtute.
Naturam cũ hominibus communẽ nactus,
vitam vivis ſupra homines,
Mora-

Moralem Sanctus,
Civilem Urbanus,
utramq; perfectus:
Ecclesiæ & Patriæ obsequio divisus,
conscientiâ integerrimus,
de utraq; mereri avidus,
& ab ambitu honorum alienus,
Templa, Aras, Altaria, erigere, (b)
quàm Diœceses regere cupidior.

CLASSIS III.

Raræ eruditionis copiâ
DIVES.

Hactenus

in Sangvinis & Virtutum Tuarum alto
utriq; tranando impares,
fluctuârunt Classes nostræ,
Tertia naufragium patitur in sicco,
postquàm
cui se illa committere volebat,
æquor scientiarum exhausisti,
& PRÆSVL eruditissimus,

 & eru-

(b) in Villa hæreditaria Kobelká cocto latere Ecclesiam munificè erexit.

& eruditorum PRINCEPS Celſiſſimus. (a)

Paucis hoc Mare ſapit,
& parum ſapiunt,
multi nec primîs labrîs illud prælibant,
& non ſunt ad ſæculi præſentis guſtum,
plures ſalſedinem ejus abhorrent,
& ſinè ſale infatuati vivunt.

Præſulum Celſiſſime,

Penetrâſti illud usq; ad fundum,
& quidquid ſciri aut doceri poteſt;
ingeniô abſorpſiſti.
Hinc eſt;
quòd Muſas non cum Pyrrho in Annulo,
ſed vaſto foves in vertice,
totâ Europâ peregrinas collegiſti, (b)
& Parnaſſum circumfers in Capite
quarta ſub Inſula plùs quàm bicolem. (c)

Pontifex

in humanioribus diſciplinis
plùs quàm Divinus,
in ſeverioribus plùs quàm Angelicus;
in naturalibus ſupra Philoſophos,
in moralibus ſupra Ethycos & Politicos,
in Divinis ſapiens ſupra Theologos.

Verè

(a) Princeps Celſiſſimus Cancellarius Univerſitatis Cracovienſis. (b) exteras oras peragravit. (c) primo Plocenſis, poſt Luceorienſis, poſt Culmenſis, poſt Crac: Epiſcopus.

Verè Sol Doctorum,

in obſcuris illuſtrandis clarus,
in abſtruſis enucleandis perſpicuus,
Orbem Eruditorum illuſtrare potens.
Faſtidiunt noctes Atticas multi,
quibus Genus illuſtre eſt.

Principum Illuſtriſſime,

Natalium ſplendore Noctes Atticas illuſtras,
& Cleanthis lychnô,
Avorum Tuorum Ceras magis illuſtres facis:
& doces
Lucinam & Palladem amicas Deas eſſe,
Infulam & Mitram non excludere
Doctoralem Lauream,
Mare ſangvinis Alti, ſcientificum æquor compati,
illuſtres ortus luce ſapientiæ augeri.
Simile Tibi Soli *Parelium* eſt,

Illuſtriſſimus

&

Reverendiſſimus Dominus

JOSEPHUS ZAŁUSKI,

E Su-

Supremus Regni
REFERENDARIVS,
ABBAS
Fontaneti in Gallia,
Statuum Burgundiæ ASSESSOR,
ABBAS Villariæ Betnaci
in Lotharingia,
CONSILIARIVS
Prælati Honoris Parlamenti Nanceani,
Cathedralis Cracovienſis
CANONICVS,
Inſignis Collegiatæ Varſavienſis
PRÆPOSITVS,
æquè ſangvine ac eruditione
Frater Germanus,
æquè Literarum amans,
& Literatorum Apex.
Vterq; enim eſtis,
extra Gallias ingeniô *Pares*,
extra Hiſpanias eruditione *Grandes*,
audivit Vos in Sacris Exedris,
mella loquentes Polonia,
& *Ambroſios*,

dicen-

dicentes gravia, & *Leones*,
prædicantes zelosè, & *Paulos* censuit.
Isocrates tamen & Cicerones non asseruit,
quia profanis Oratoribus præferendos
esse duxit.
Primis tamen Literarum Parentibus
æquales æstimat,
& prima Literarum Viventia in Polonia,
postquam
ut

ANDREAS
OLSZOWSKI,
ARCHIEPISCOPUS
GNESNENSIS,
Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ
PRIMAS,
AVUNCULUS VESTER
in Capite Regni Cracovia,
sic Vos in Regni Corde Varsavia,
publicum Literarũ Domiciliũ excitâstis.(d)

 Evo-

(d) *Olszowski Crac: insignem Bibliothecam aperuit. ANDREAS & JOSEPHUS ZAŁUSKI Varsaviæ.*

Evocâſtis toto Orbe mutos Doctores,
Græciam, Athenas, Latium,
in Poloniam tranſtuliſtis,
& Regnum Literarum in Septemtrione
extendiſtis.
Diviſum quondam Imperium,
cum Jove Cæſar habuit;
uterq; Veſtrûm Jupiter,
Caput fæcundum habens Pallade,
uterq; Cæſar,
& Animorum & Ingeniorũ ex æquo Victor,
Curîs, ſolicitudine de Literis indiviſus,
amore Literarum idem.
In Cælo Eruditorum,
uterq; Caſtor & Pollux,
Phæbo Scholaſtico uterq; Conjunctum
ſidus. (e)
Uterq; ſidus coronatum.
ANDREAS in exteris, (f)
ut ſuum Romanæ ſapientiæ communicâſſet
Verticem,
IOSEPHVS Domi, (g)
ut non

(e) JOSEPHVS ZALVSKI Referendarius Regni in cœtum Societatis Literariæ, Infæcundorum nuncupatæ Annò 1735. adſcriptus. (f) Celſiſſimus PRINCEPS in Romana Sapientia Juris Vtriuſq; Doctor creatus. (g) Illuſtriſſimus Referendarius in Univer: Crac: Juris Doctor.

ut non ſubtraxiſſet Patriæ.
Duo fulmina belli,
jactavit antiquitas Scipiadas,
uterq; Veſtrûm
contra Inſcitiam fulmen eſt,
pro Literarum Bono fortis Scipio.
Vterq;
annos vitæ pulvere Scholaſtico menſurat,
Olympos ſibi gloriæ
ex arena Literaria aſſurgere
uterq; videt.
Vtinam
Orbis Literarii uterq; Luminare Maximũ,
luceat inocciduum:
uterq; *Maronibus* ſuis *Auguſtus*,
Pliniis Theodosius,
Claudianis Stilico,
immortalis vivat.
Societatis Literariæ votum,
Vniverſitatis Cracovienſis
deſiderium eſt.

CLASSIS IV.
Multiplici meritorum apparatu
PLENA.
Procul hinc
actuariæ Naves exeste!
Agiles & celeritate præstantes;
Classis hæc
grandibûs est Pontificiîs instructa meritîs
& gravibûs.
Lembos, liburnas, embolum, non admittit.
Leves plerìq; meritîs, altum Honorîs petunt,
ad Bravium Celerini,
in benemerendi campo Lentuli,
ad præclarè gesta vel gerenda testudines,
ad bene gestorum Coronam
Cervi vel Aquilæ,

PRINCEPS
EMERITISSIME,
lento ad Culmen Honoris processisti gradu
sed maturo,

pri-

primò Cracoviensis CANONICVS,
ſubmisiſti Caput Coronis, (a)
Pultoviensis DECANVS,
Plocensis PRÆPOSITVS,
DVX Sielunensis,
antequam ad Infulas erexeras.
Plocenſem & Luceorienſem,
Culmenſem & Pomeſaniæ
geſsiſti Infulam,
antequam Mitram cum Cracoviensi
Infula conjungeres.
Sacer & Civilis,
Gallicus & Italicus,
Polonus, Germanicus, Latinus Orator,
priùs, quàm Os REGIS & Regni
CANCELLARIUS.
A teneris ad tractandas
Regni Ceras educatus,
bis ab
AUGUSTO II.
designatus,
tandem ab
AUGUSTO III.
conſtitutus.

(a) *Stemma Capituli Cracoviensis tres Coronæ.*

Aptavit ad eas Tuam indolem

ANDREAS

CHRISOSTOMUS

ZAŁUSKI,

EPISCOPUS

VARMIENSIS,

Sacri Romani Imperii

PRINCEPS,

Supremus Regni

CANCELLARIUS,

Scriptîs & gestîs Europeo Orbi

notissimus,

in Galliam & Hispaniam,

Lusitaniam & Bavariam,

Legationibûs

celeberrimus.

In Samboriensi & Leopoliensi Comissione,

Exercituum Regni Pacificator

felicissimus.

Erga IV Poloniarum Reges,

JO-

JOANNEM
CASIMIRUM,
&
MICHAELEM I.
JOANNEM III.
&
AUGUSTUM II.
obsequiô *fidelissimus*,
& sibi & tanto Ministerio formavit parem.
Jam verò
LUDOVICUS
ZAŁUSKI,
EPISCOPUS PLOCENSIS,
à
JOANNE BOKUM
Episcopo Płocensi,

Regni Procancellario.

nullo Sangvinis intercedente nexu,
ex Sola virtutum & meritorum æſtimatione,
in Coadjutorem Epiſcopatûs Culmenſis
expetitum,
Plocenſi Inſulæ adſcivit,
& Succeſſorem reliquit,
Atlas Alcidam,
Nerva Trajanum,
Auguſtus Commodum.

Æquâſti tantos Præſules meritis,
Synodum Diœceſanam convocans,
ut illi,
Supremo Tribunali Theſauri Regni
Radomienſi
VICE-PRESIDENS,
ut illi,
famoſæ Commiſſioni Thorunenſi
priori CONSILIO,
Breſtenſi in Lithvania PRÆSIDENS
judicio, ut illi,
ter in Varſavienſibus,
ſemel in Grodnenſibus Comitiis,
ad conſcribendas per Ordines Regni
San-

Sancitas Leges,
DEPVTATVS,
ut illi,
in eo superâsti,
quòd celeriùs Insulas merueras.
Supplente annorum defectum virtute,
concedente
INNOCENTIO
XIII,
Summo Pontifice,
consecrante
CONSTANTINO
SZANIAWSKI,
Cracoviensi Episcopo,
Vigesimô Octavô Ætatis Annô Episcopus
Ordinatus.
Dignus pro qualitate dotum
Insulîs omnibûs,
quartam nunc jam obtines,

cùm nisi tres ANDREAS,
unam LUDOVICUS tenuisset.
Wągrovecensis, Czervensis,
Paradisiensis,
COMMENDATARIUS
ABBAS,
cùm nisi Wąchocensi præfuisset
CHRISOSTOMUS.
Nec Præsules tantùm æquâsti aut superâsti
ZAŁUSCIOS,
Infulâ simul et Mitrâ,
omnibus quotquot fuerunt præemines.
LAURENTIUM
Castellanum Gostinensem
PROAVUM,
grandium operum flore selectissimo,
ALEXANDROS
Palatinos Ravenses
PATREM & AVUM
gesto-

geſtorum ſuperas magnitudine.
Cæteros ut Sol ſidera ſua luce,
Roſa flores ſuâ purpurâ,
Lilia Roſas candore,
Cryſtallus vitra nitore,
Adamas pretiô uniones excedis.
Gemmam Virorum ſi excipias

JACOBUM

Sulejovienſem
CAPITANEVM,

Ceauniæ tanquam *tonitrui Filium* parem,
qui licèt minimus natu Frater Tuus eſt,
quanquam Te aſſequi non poteſt, ſequitur,
quanquam æquare non poteſt, ſtudet,
& quidquid in Domo Veſtra
illuſtriſſimum,
ab Anteceſſorum & Tuis meritis grande,
concentrare in ſe contendit.
Par indoles,
IGNATIO *CAPITANEO* Zavichoſtenſi,
& MARTINO ZAŁVSCIIS
Archimageridis Magni Ducatûs
Lithvaniæ,

Qui ut ſe ZAŁVSCIOS probent,
in tenera ætate ſupra Viros ſapiunt,
& in prætexta Togas merentur,
ingenium annis eſſe velocius docent,
& virtutem non expectare annos
ut matureſcat.
JOANNE Patre nati
gratias ore referunt,
& geſtîs merentur,
PROSPERO feliciter Majores ſuos
æquare ſtudent.
Ea enim natura Veſtrûm eſt
ZAŁUSCII.
cum *doctis ſapere*,
cum *bene meritis mereri*,
cum *omnibûs numerîs abſolutis*,
meliora chariſmata æmulari.
Tibi potiſſimum id connatū,
PRÆSUL
CELSISSIME,
Qui
quidquid in Colligatis Tibi Domibus *lucis*,
in eru-

in erudito Orbe *ſapientiæ*,
inter Cives Patriæ *meritorum*,
in Te uno collegiſti, adunâſti, concentrâſti.
Ut Achillis acta Ilias,
ut ſolem ſpeculum,
ut Deos omnes Pantheon,
quibûs mereri quisq; de Patria poteſt,
unus ſingula complexus.
Domi Conſiliô potens,
foris Authoritate validus,
Vbique
rerum geſtarum *experientiâ* probatus,
& gloriâ celeberrimus.
Eorum quæ in Patria ſunt acta gnarus,
& horum quæ in Exteris peritiſſimus,
in Sacra & Profana hiſtoria verſatiſſimus.
Æquè bonus Patriæ Pater,
ac Eccleſiæ Sponſus optimus,
erga utramq; pari amore affectus,
ſolicitudine intenſus,
labore indefeſsus,
curâ & vigilantiâ Pontifex ſummus.
Pares Tibi nemo objiciet,
Patres Patriæ alii ſunt,

Tu Patrum Princeps,

Lumina Ecclesiæ sunt,
Tu Fons Luminum,
Sidera in Cælo Lechiæ sunt,
Tu DVX Astrorum,
Insulati Aarones sunt,
Tu Insulatorum Apex,
alios Principe Mitrâ,
alios Ducali Ense,
singulos virtute, eruditione, meritîs,
prætergressus.
Hinc est,
quòd primam Episcopalem
in Polonia Sedem occupas,
nisi enim injusta esse velit,
aliter Te coronare Patria non potuit.
Si quas tamen supremas adhuc habet,
Tibi promittit,
& quas non habet, optat.
Nos vota votis addimus,
& pro mensura eminentium meritorum
ad CANTII Aras,
Titulos pro Te eminentissimos
imploramus.

